

isti certis in partibus se Augustanæ Confessioni, aut ceteris Libris Symbolicis opponunt, aut ejus & eorum socios se esse simulant, aut quod non raro fieri solet, nonnulla in iisdem taxant, & reprehendunt. Quicquid horum faciunt, faciunt illud non raro ex eo Idiomate, de quo ipse Liber Symbolicus in fonte consideratus nihil participat, & propterea extra omnem culpam ponitur, & quicquid erratum est, si id prius legitime demonstratum, & evictum erit, ad versionem, non ad fontem pertinet, ad eoque nec ipsi Libro Symbolico, nec ejus auctori primario, quin imo, multo minus ipsis Confessoribus imputandum esse certum est. Quis enim accusabit Spiritum Sanctum in Scriptura S., si Versio Vulgata pasim ab ejus mente aberravit? Et quis jure accusabit Imperatorem, leges sermone latino publicantem, si interpret hic aut ille, sive Hispanus, sive Gallus, sive Italus, sive Germanus a vero ejus sensu abivit? Nemo certe Hippocrati aut Aristoteli imputabit, si eorum Interpretes cespitarunt. Et Romanorum Imperator minime Interpretis sui, quem tamen conduxit, & pro Interprete agnoscit, verbis, si ea ab ejus mente & animo aliena sunt, stabit, sed ea potius rejiciet, & mentem suam rectius explicabit. Ecclesiæ autem privilegium hoc nequaquam denegandum erit, ea enim merito res injustissima esset.

XXXI.

Debebamus nunc, imo volebamus quoque cætera, & quæ restant, annectere; sed cum hac vice illud non liceat, pedem hic figimus, addituri B. C. D. propediem, quæ huc porro pertinere videbuntur. Precamur autem Deum Trinum, ut & quæ jam tradidimus, & quæ posthæc sequentur, quo in Nominis sui honorem, Ecclesiæ commoda, docentium & discipulorum usus cedant, clementissime facere velit per Jesum, Salvatorem nostrum!

FINIS.